

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ornando, pollicitus, contraria omnia egit. Ego benevolentiam & fidem ipsi probabo. Occasiones & eventus scis à DEO solo dari & gubernari. Orationem de Palatino Wolfigango, in qua tuum etiam nomen invenies, Cl. V. Dm. D. Gremio reddes, eique officia mea simul reverenter deferes, ac ut perniciosissimam omnibus Ecclesiis nostris Tragœdiam inter D. Sturmium & D. Pappum autoritate sua leniat & componat, rogabis. Bene vale. Die Matthæi, Anno 1580.

Cujus nomen, & animum & manum nosti.

(Chytræus is est.)

XXIV.

Salutem & gratiam in Domino Jesu Christo. Reverende & humanissime Domine Doctor, Domine ac Præceptor observande.

Agnosco, meo officio me non satis perfunctum, in eo, quod tardius versionem Domini Buceri mitto. Verùm ea est negotiorum meorum multitudo, varietas ac magnitudo, ut si tua R. Spectatrix rerum esset, potius mihi condoleret afflicto, quam succenseret promissum non præstanti. Converti tamen in germanicum epistolam ad Comandum: alteram verò dedi Domino Lautenbachio vertendam. Et quantum ex collatione vidi, existimo, sententiam authoris bene expressisse. Dominus Doctor pro suo candore & erga me benignitate excusatum me habere dignetur. Erastus post multiplices actiones cum ipso habitas, putavit, sibi hinc manendum, sed ego Electorem, misso scripto tali, quale conficere omninò potui, in utramque partem, quid sperare, quidque metuere, tum à DEO tum ab hominibus, in hoc quidem casu, haberet, edocui, & hoc impetravi, quod nunc factum est, contra omnium patronorum ipsius voluntatem & expectationem. Neque post subscriptionem libri concordie majus aliud donum à DEO contingere potuisset huic Ecclesie, quam migratio Erasti, & ejus, qui brevi etiam abiturus est, Grynæi. Spero etiam, brevi impositum iri finem insolentiae Dn. Edonis, de quo fortè Dominus D. Philippus plura scribet. Elector & Electorissa nuper scripto quodam Ducis Johannis Bipontini ita affecti mærore fuerant, ob promotam subscriptionem, ut ferè consolationi & informationi saniori vix fuerit locus, sed nunc iterum videmur satis esse confirmati. Electorissa nunc convalescit ex podagra, Elector ex anhelitus difficultate. DEUS optimus maximus det, ut uterque diu sit nobis superstes, quod quidem universæ Ecclesie Christi cederet in

ret in bonum. Quotidie nunc expectamus Codemannum quendam, virum egregium, in consilio planè nostrum, bonum Hebræum, virum cordatum, &c. quam susceptum in D. Edoni spero. Aulicus noster cum ab omnibus petiisset hoc, ut Benschmium promoveretur, nunc studio manet, & videtur illuisse optimo Principi & omnibus nobis. D. Jacobus Hailbrunnerus Benschmium collocabitur intra octiduum, ut spero. Conventus Norimbergensis in fumum abit, proculdubio ob hanc causam, quod Electores ipsi jam voluerint comparere. Subscriptiones omnium ferme, qui in Ecclesiis & Scholis inferioris ministrant, habemus; nam vix unus aut alter illam detrectant. Ego jam ad visitationem exire deberem, sed quia Illustrissimus noster omnino vult, ut gradum assumam, petii, ut mihi parceret, ac quod à negotiis reliquum habeo tempus, tribuere me sineret præparationi, quæ certè tali actui nequaquam potest respondere. DEUS faciat ac largiatur ut non confundar, & ut per infirmitatem meam, in hoc tam periculoso rerum statu, Ecclesia & optimus Elector, non labis aut maculæ aliquid per me contrahant. Possumenim meo modulo me metiri, præcipuè cum videam, quo in loco hic verser. Dn. D. Kirchnerus intra paucos dies ibit Ihenam ad visitationem Academiæ, ut ea aliquando tandem de consensu omnium Electorum Evangelicorum reformetur. Atque hæc sunt, quæ mihi occupatissimo jam incidere potuerunt, ut ad R. T. ea perscriberem. Salvere & valere multum jubeo Dominam, uxorem s. vestram, itemque Dn. D. Erasmum & M. Ulricum, quos omnes ex animo veneror & colo, sicuti & his annumero Dominum Thomam. Valeat etiam in Christo quam optimè & felicissimè Reverentia tua. Heidelbergæ, postridie Calend. Novembris, Anno LXXX.

R. T.

observantiss.

Petrus Patiens.

Dominus Licentiatus Herderus constitutus est Cancellarius Ambergensis, sed nondum à nobis discessit. Nos Dn. D. Micylum nobis Cancellarium optamus.

XXV.

S. in Domino.

Quod & raro & breviter scribo, Reverende in Christo pater, D. Doctor clarissime, excusatum me R. Tua habebit, propter multa mea negotia, quibus distrahor